

Dissertatio CCX.

104

dicationem usus talis juris, atque dominii. Minor est certa; quia matrimonium contrahitur per traditionem juris ad copulam conjugalem; per usum vero talis juris matrimonium consummatur, non contrahitur; matrimonium autem ratum, & non consummatum est verum matrimonium: ergo ad substantiam matrimonii sufficit traditio juris ad copulam conjugalem, & non requiritur usus talis juris. Major sequenti ratione elucidatur, atque magis robatur.

III. Probatur. Ita se habent dominium, seu jus ad usum, sicut se habet dominium directum ad usumfructum, seu ad dominium utile; sed dominium directum potest separari ab usumfructu, seu a dominio utili perperuo: ergo potest etiam separari jus, seu dominium ab usu: ergo bene potest per matrimonium alteri conjugi conferri dominium directum, & radicale in corpus, recteno dominio utili in perpetuum, & potest etiam eidem conferri jus ad conjugalem copulam, absque eo quod conferatur usus hujuscemodi juris. Probatur minor. Ideo non possunt separari, quia dominium directum est propterea inutilis in proprietario post translationem usumfructus perpetui, & traditio juris est etiam inutilis, absque traditione usus talis juris; sed haec inutilitas non est: ergo sunt separabiles. Probatur minor. Supposita separatione illa, usumfructarius non posset rem destruere, vel alienare, invito domino directo; similiter qui haberet jus, quanvis non haberet usum, posset rem illam vere dicere suam, & cuiusque alio prohibere, & a qualibet alio vindicare: ergo non est inutilitas illa, quae ab Adversariis fingitur.

IV. Probatur. Ponamus casum, quod Conjuges post matrimonium consummatum ingrediantur religionem, in tali casu in omnium sententia durat vinculum matrimoniale cum facultate ramen perpetuo impedita; ad debitum petendum; & quod duret vinculum matrimoniale patet, quia committeret adulterium, qui cum alia peccaret. Insuper si uxores emitant votum simplex castitatis, ex tali consensu, cessat obligatio reddendi debitum, quia uteque iuri suo cessit: ergo matrimonium cum facultate perpetuo impedita, seu cum abdicatione usus juris ad petendum debitum conjugale, vel quomodounque, aliter explicetur, non repugnat.

Arguunt. I. Matrimonium substantialiter importat corporum traditionem; sed cor-

porum traditio importat ex tunc consensum in futuram copulam, si ab altero coniuge debitum petatur, & hoc virginitatis voto repugnat, quia ut docet Augustinus lib. de bono virginitatis cap. 8. *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere, dannabile est: ergo &c.* II. Per votum virginitatis traditum proprium corpus Deo; per matrimonium traditur proprium corpus alteri Coniugi; sed quod est traditum Deo non potest tradi homini: ergo post emissum virginitatis votum non potest matrimonium contrahere. III. Qui non potest alteri proprium corpus tradere, nec potest alieni corporis traditionem acceptare; sed qui virginitatem vovit, non potest proprium corpus alteri tradere: ergo nec potest alieni corporis traditionem acceptare: ergo non potest matrimonium contrahere. Consequentia sequitur, quia matrimonium consistit in mutua corporum traditione, & acceptatione. IV. Procreatio prolis est finis matrimonii; sed qui virginitatis votum emisit, non potest habere hunc finem: ergo ne quis matrimonium contrahere. V. Frigidus, & Eunuchus non possunt valide matrimonium contrahere, quia debitum reddere omnino non possunt; sed qui votum virginitatis emisit, nequit debitum reddere; ergo nequit valide matrimonium contrahere. Major patet ex cap. quod sedem, ex cap. quod literis de frigidis, & maleficiatis; minor etiam est evidens, quia qui castitatis votum emisit, voto ipso prohibetur debitum reddere. Consequentia currit. VI. Si licuit Deiparae post emissum virginitatis votum contrahere matrimonium; ergo licet pariter iis, qui voto castitatis sunt obstricti, matrimonium inire; sed hoc dici non potest. VII. Ex cap. Si conditiones extra de conditionibus appositis in desponsatione habemus Gregorii IX. Romanii Pontificis rescriptum, in quo dicitur: *Nullum esse, & irritum matrimonium, si conditiones contra substantiam conjugii inseruantur: puta si alter alteri dicat, contrabo tecum, se generationem proli exortes.* Huic rescripto subscrribit pariter S. Thomas in 4. dist. 28. art. 4. ad 3., ubi rejicit hanc conditionem: *Consensio in te, ut non cognosas me: tanquam destructivam substantiam matrimonii; Sed contrahens cum virginitatis voto, antecedenter emissio, cum hac conditione, aut verbo expressa, aut mente concepta contrahit: ergo matrimonium est nullum.* VIII. Implicat

matri-